

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In Qua Tractatur De Contractu Et Sacramento Matrimonii

Bosco, Jean a

Lovanii, 1678

Concl. IV. Nihil interest, an tempore contractus mandans seu scribens
vigilet, an dormiat: sanæ mentis sit, an amens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73432](#)

non veniret ea prohibito de Matrimonio intelligenda, sicut etiam prohibito generali contractuum, Matrimonium, quod vere & propriè contractus est, minimè claudit. Hec ille.

^{90.} Quæ sententia etiam nobis placet, quāvis non omnes ejus probaciones: nam exstimo etiam in hoc Procuratore, maximè, quādo non est omnino determinata persona, sed liberum ei relinquitur, ex pluribus unam eligere, prout fieri posse suprà diximus, & probavimus exemplo Abrahami, mittentis fervum suum in Melopotamiam, ad quærendam uxorem Isaac, existimo, inquam, quod in tali causa requiratur aliqua industria Procuratoris. Sufficiat ergo pro defensione illius sententie tertia & quarta probatio.

Ceterū si à me queritur; an valeat Matrimonium initum per Procuratorem, si tempore contractus mandans dormiat, aut amens sit; Respondeo & dico:

CONCLUSIO IV.

Nihil interest, an tempore contrahens mandans seu scribens vigilet, an dormiat: sanæ mentis sit, an amens.

^{91.} Prima pars est communis, & constabit ex dicendis pro secunda parte, quam tenet Sanchez l. 2. disp. 11. n. 12. ubi cam infert ex doctrina præcedentis numeri, quæ talis est. Si postquam quipiam Procuratorem misit, nec consentit, nec dissentit; sed in aliis, occupatur, valeat Matrimonium; quia durat prior consensus virtute, cum non si obex contraria voluntatis; ut qui prius baptizari voluit, si dormiens baptizetur, verum accipit Baptisma, cap. Majores, de Baptismo.

Ex hac doctrina, ab omnibus admissa, infert Sanchez suprà n. 12. Si Procuratore misso, dans mandatum in amentiam incidat, & talis perseverat, dum Procurator nomine suo contrahit, valere Matrimonium: manet enim virtute prior consensus, cum revocatus non sit: sicut Baptismus, furia tempore receperit, petiusante furiam, validus est, cap. Majores de Baptismo, fine; sicut si nunc tempore esset dormiens, valeret Matrimonium. Sic Henriquez lib. 11. de Matr. cap. 4. n. 4. Hec ille.

Et continuò sibi ipsi objicit: si Sacerdos auditâ Confessione, amens fieret, & sic absolvaret, nulla esset absolutio; quia ministri actus debet esse humanus: sed contrahentes per Procuratorem sunt ministri Matrimonii, & non Procurator, ergo si tempore, quo consensus præbet Procurator, qui mandatum dedit, rationis usu defititus sit, erit irritum Matrimonium. Ecce objectio.

Subsequitur responso: scilicet, argumen. ^{Solutio.} tum concludere, per seipsum contrahentem, necessariò debere esse sui compotem, dum contrahit: unde nihil ageret, si dormiens vel insanus tunc esset; at dum contrahit per Procuratorem, satis est, ut dum mandatum dedit, sui compos esset, nec revocavit: & Procurator, dum ejus præstat confessum, si sui compos, ut in cæteris contractibus contingit; quia tunc contrahens non ministrat per seipsum, sed medio instrumento. Hæc Sanchez.

Et quāvis omnes doceant, perinde esse, an mandans seu scribens vigilet, an dormiat; ^{93.} ^{Oppositorum de amene doceat Pontius.} equidem putat Pontius lib. 2. cap. 15. n. 14. non valere Matrimonium, si mandans seu scribens inciderit in amentiam. Ratio, quæ me moverit (inquit ille Auctor) hæc est. Quia pro forma & causa contractus est consensus, expressus per verba Procuratoris: at eo tempore impossibilis est consensus. Ergo nullum Matrimonium.

Add: si moreretur mandans eo tempore, ^{Secundum.} nihil ageret Procurator; ipsa enim morte cesseret consensus. Ergo etiam amentia, quæ equiparatur morti quoad consensum. In quo videtur longè diversam esse rationem de mandante, si in amentiam incidat, aut si dormiat; ille enim incapax est habendi consensum, hic vero minimè.

Neque simile est, quod Baptismus petitus ante amentiam, valide conferatur in amentia, cap. Majores, de Baptismo. Nam ut Baptismus effectum habeat, satis est voluntatem processisse, neque revocaram; eo enim ipso positâ materiâ & formâ, ponitur effectus: at in Matrimonio necessarius est consensus perseverans, etiam in ipso fieri contractus, quia consensus, per verba expressus vel signa, est forma Matrimonii.

Idem est in Sacramento Pœnitentiae; potest enim abtolvi, qui ante amentiam dedit signa contritionis, neque enim necesse est simul fint in Pœnitentia materia & forma ejus Sacramenti.

Arque id quod dicimus intelligetur facile, si queramus; an cum illo in amentiam incidente, & præsente, licet explicasset anteriorē consensum, contraheretur Matrimonium? Minimè sane. Igitur neque per Procuratorem contrahi poterit, si mandans in amentiam incidat. Hucusque Pontius.

Hanc sententiam approbat Card. Lug. de Sacram. disp. 8. n. 108. in fine, dicens: Quare merito, Matrimonium illud validum non esse, observavit etiam Basil. Pontius de Matr. lib. 2. cap. 15. n. 14. licet rationes illius satis efficaces non sint. Hæc ille.

Ego autem dico: Si rationes Pontii satis efficaces non sint, neque satis efficaces erunt rationes Lugonis, qui nullam aliam afferit,

^{94.} ^{Resp. ad ex-emplum Baptismi.}

^{95.} ^{Sententiam Pontii ap-probat Lug.}

Ecc 2 quām

Disput. II. De Contractu & Sacramento Matrimonii.

404

Eius probatio ex l. 47.
¶ 48 ff. de
Acquir. hæreda.

quād regulam generalem, ut ipse vocat, quād mandatum sicut expirat morte mandantis, sic etiam expiret, mandante factō furioso, vel amentis; ut habetur in leg. *Qui servum suum, 47.* & leg. *Si quis alioi. 48.* ff.

de Acquir. hæredit. quia nimis jam ab eius tempore videtur expirasse voluntas mandantis, cūm jam non censeatur capax celebrandi contractū. Ita Eminent.

Et verò quis non videt, idem argumentum adducere Pontium suprà, ibi: *Adde: Si moreretur mandans &c. Nihil clariss. est. Ergo si illa ratio Pontii non sit satis efficax, neque satis efficax erit illa ratio Lugonis.*

Ut autem videamus, quād efficax sit hoc argumentum, exscribo verba utriusque Legis: *Qui servum suum hæredem in institutum adire iussit: prīusquam ille adire, furiosus est factus, negavit, rectè servum aditaram; quoniam non nisi voluntate domini adquiri hæreditas potest: furiosi autem voluntas nulla est.*

Altera lex sic loquitur: *Si quis alioi mandavit, ut, si alimaverit, petet sibi bonorum possessionem, & postquam ille petit, furere coperit: nihilominus adquisita est ei bonorum possessionis. Quid si antequam ille petat, is, qui mandavit petendum: furere coperit: dicendum non est: statim è adquisitam bonorum possessionem. Igitur bonorum possessionis petitio ratificatione debet confirmari. Addo Reg. 40. ff. de Diversis Reg. Juris: Furiosi, vel ejus, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est.*

97.
Resp. Dic.
caſt.

Respondet Dicastillo dipl. 2. n. 151. posset quidem in illis duabus legibus reperiiri circa subjectam materiam specialis ratio sic statuendi; quāvis, ut verum fatear, ratio legis universalis videatur, & illa regula juris, nullā designatā particulari materiā, univerſim loquatur. Quidquid tamen de hoc sit, & quidquid jura civilia disponant in aliis rebus, pro valore Matrimonii parūm refert, si aliquin jure Canonico aut naturali voluntas & consensus non censeatur cessare. Hęc ille.

98.
Neque per
ameniam,
neque per
mortem ge-
neraliter
cessare vo-
luntas, ex c.
9. de Offic.
deleg. in 6.

Porrò nullum invenitur jus Canonicum, quod generaliter declarat, consensus mandantis cessare propter amentiam, in quam post mandatum mandans incidit. Sed neque per mortem, cūm scriptum sit c. *Si super gratia, de Offic. deleg. in 6. Aequaliter enim esse consensus ut sicut ipsa gratia (licet non sit in ejus executione processum) morte non perimitur concedentis, nec etiam re integrā perimitur executoribus data potestas, quam veluti gratia praedita & accessoria, naturam sequi congruit principalis.*

Ex quo jure inferunt communiter Theologici, gratiam absolutè factam, acceptari posse, etiam post mortem concedentis. Nam non distinguit inter gratiam acceptatam & non acceptatam; & ratio, quam allegat Pontifex, scilicet: *Negratiam cedens, vel reddi quandoque inutilē, vel ipsius effectum in tem-*

pus longius (cum illius dispenso, cui facta extit) differri contingat, utrobius locum habet ut clarum est. Ergo generaliter jure Canonico non cessat consensus per mortem, multo minus per amentiam.

Immò & jure civili non semper per mortem consensus cessare, patet manifeste ex l. 4. ff. de Manumissi vind. Si pater filio per misericordia, servum manumittere, & interim decesserit intestat: deinde filius ignorans patrem suum mortuum, libertatem impoherit: libertas seruo favore libertatis contingit, cūm non appareat mutata eis domini voluntas. Quid ergo pater factus fuisset interea amens, putans quia libertas seruo favore libertatis non congerit? Noli putare. Quippe si per mortem non appareat mutata domini voluntas, neque per amentiam.

Et verò quid clariss., quād jure naturali & jure positivo tam Canonico, quām in testamento, & ceteras ultimas voluntates post mortem testator permanere, latet quoad effectum; immo per mortem causa maris etiam commissiones ad contrahendunt. Siquidem hęc ratione solet testator mandare executori testamenti, vel hæredi, ut emat vel vendat talēm domum; empieget autem vel venditionem tunc ille celebit nomine defuncti, cūjus consensus & voluntas censetur durare quoad tales effectum.

Adde: quid etiam extra ultimas voluntates, si mandatum sit ad pias causas, quād fas sit mandatum illud revocare; int̄ dum vivit mandans; morte tamen ipso revocatur revocatum, ut cum comuni sententia, quam refert, affirmat Com. 2. Variarum resolut. l. 1. cap. 1. n. 16 Reg. 1. Si ego, 9. ff. de Jure dotum §. 1. ver. Schol. I. nius est, favore dorium necessitatem imponendi, consentire ei, quod definitum, facit. Ergo similiter favore pīz causae, que non immorit à DD aquiparatur dicit. Et apertius probatur ex l. 1. Si pater, ff. de Manumissi vnde supra allegata, ubi mandatum favore libatis morte mandantis non expirat.

Quare, inquit Molina de Just. & jure, 2. tract. 2. disp. 263. n. 3. Si quis aliqui alicui dedit, ut traderet in elemosynam, ut consumaret illud in alia cauta pīz, vel donatio & mandatum revocata non cedetur morte mandantis, sed in iis ipsiusibus sunt illa insumenta, ad quas sunt tradit.

Et n. 4. notar. differimen aliquod inter mandatarium & Procuratorum; quod ista per merum & simplicem mandatarium, singulariter sunt in invalida postquam mandatum est revocatum, etiam tacite mandanti morte est mandatarius ipse, id est circa quem mandatum exequitur, revocationem ignorat: acta verò per Procuratores, antequam sunt illa invenienda, ad quas sunt tradit.

Excipit autem ipse ab hac regula solum Matrimonium, at vero Basili Pontius alios preterea contractus, ut diximus Conclusus. Vide ibi dicta.

^{103.} Ceterum Mol. suprà n. 7. videns inconveniens quae sequuntur ex legibus, quae staruant morte mandantis expirare mandatum (presertim, quod qui culpabiliter omisisset exequi mandatum donandi alicui, teneatur duplum facere restitutionem unam donatario, alteram hæredibus mandantis donatoris) sic ait: certe Christianis Principibus consulerem, legem ferrent, quæ statuerent in donationibus mandatum non expirare morte mandantis; æquitas nāque potulat, ut voluntas illa defuncti, quam mandari executioni præcepit, & in qua usque ad mortem perseveravit; immo & quam ipse ex parte executioni mandare cœperit, perficiatur; neque eju modi juris civilis, subtilibus impediatur. Interim tamen dum leges civiles hic in parte non revocantur earum dispositioni est standum: eo quod voluntatem, mandatumque illud defundi, irrita reddere poterunt, ut donatio illa effectum con sequeretur, nihil impediente, quod contrarium rationi esset magis consentaneum, & quod leclusis illis legibus, contrarium esset dicendum, stando in solo jure naturali. Hac ille.

Dicastillo. Quibus inquit Dicastillo supra n. 153. aperte docet, solo jure positivo introductum fuisse: ut superveniente morte conferetur cessante voluntas & consensus mandantis in plerisque donationibus. Unde quando in lege: *Mandatum*, Cod. Mandati, dicitur: *Mandatum re integra domini morte finitur*, id in casibus, non exceptis à jure, intelligi debet; quia cum ea extincio sit solo jure positiuo introducta, ad eos tantum casus se extendit in quibus tale jus locum habet.

Ex his patet (prosequitur idem Author) neque ipsa morte physica jure naturæ extinguit vim consensu illius præstati in vita; atque adeò multò minus amentia & furia que utcumque dicitur morti æquiparari. Et quidem æquiparatio non debet in omnibus tene re, ut videtur in ipso Matrimonio vinculojam contracto, quod quantumvis dissol vatur per mortem, non tamen dissolvitur per amentiam, ut omnes fatentur, etiam seculo jure divino, & elevatione, quæ elevatus contractus ad rationem Sacramenti. Huc uique Dicastillo.

Infero ergo ergo tametsi per mortem man danti dissolvatur, seu finiatur mandatum contrahendi Matrimonium, non rellè inde inferitur: ergo etiam dissolvitur per amentiam seu furiam. Ratio disparitatis pater, quia mortuus incapax est Matrimonii: nam per mortem etiam dissolvitur Matrimonium

ante contractum; at vero amens capax est contrahendi Matrimonii, saltem vinculi Matrimonii; Matr. nam per amentiam, secundum Omnes, non dissolvitur Matrimonium, ante validè contractum. Ergo etiam amens validè illud contrahit, non quidem per seipsum, sed me dio instrumento sive Procuratore seu litera, in quibus eius consensus actualis, ante amentiam præstitus, virtualiter perseveret, eodem modo, quo perseverat, quando mandans dormit. Neque enim pro tempore somni potest actualiter consentire, aut per seipsum contrahere, & tamen valet contractus initus pro tali tempore per Procuratorem vel literam. Quare? Quia in ipsis, etiam pro illo tempore, virtualiter perseverat consensus actualis, ante somnum præstitus.

Euidem non faris intelligo, cur potius amentia, maximè quando non est perpetua, pro tempore amentiae omnino extinguat consensum mandantis, quam somnus pro tempore somni. Solum differentia est, quod dormiens facilis evigilat, quam amens re deat ad mentem. Nam dormiens pro tempore somni æquè incapax est consensu actualis, quam amens pro tempore amentiae.

Ex quo patet responsio ad rationem, qua ^{106.} movit Pontium; translat enim, quod pro Ref. ad rati onem, & causa contractus Matrimonii, sit rationem Pon tis consensus expressus per verba Procuratoris; & similiter, quod pro tempore amentiae sit impossibilis consensus actualis mandantis; sed quid tum? Nonne etiam pro tempore somni est impossibilis consensus actualis mandantis? Quis potest prudenter dubitare? Et tamen pro illo tempore, etiam secundum Pontium, validè contrahitur Matrimonium per Procuratorem: ergo etiam pro tempore amentiae.

Quid si enim constet, amentiam minus duraturam, quam somnum, & citius mandantem, nunc amentem, rediturum ad mentem, quam evigilaturum, quando dormit? Cur contractus initus tempore talis amentiae, minus valebit, quam initus tempore somni? Quid si aliquis mandans incidat in somnum lethargicum, ex quo nunquam evigilabit, sed certè certius in illo morietur, censem' quia Matrimonium, per Procuratorem initum tempore illius somni, non valebit? Sicut ergo somnus ille, semper duratus, non extinguit omnino consensum præstatum, ita neque perpetua amentia, multò minus amentia solum temporalis.

Sed dicet aliquis; si quis per seipsum explicasset consensum suum sponsæ, & ante quam sponsa respondeat, & suum recipro cum præster consensum, sponsus incidat in amentiam, per consensum sponsæ, supervenientem tempore amentiae, non perficeretur

Eee 3 con-

406 *Suppl. II. De Contratu*
contractus Matrimonii, aut Sacramentum;
ergo similiter in casu proposito.

Respondeo; quid si sponsus statim obdormiret, & tempore somni sponsa exprimeret suum consentium? Putas, quia valerer tal Matrimonium? Si affirmas, etiam affirmo valitum Matrimonium, tametsi sponsa exprimeret suum consentium tempore amentiae. Si negas, etiam nego. Neque enim video sufficientem rationem disparitatis.

Petis à me, an sit affirmandum, an vero negandum? Respondeo: si ante amentiam & somnum non solum expressit suum consensum sponsa, sed etiam consensum sponsæ, postea praestandum, acceptavit, forte valere Matrimonium. Sicut si Christus constitueret duplum ministerium Baptismi, unum, qui ablueret, alterum, qui proficeret formam, rametis ille, qui ablueret, tempore quo proficeretur forma dormiret, aut foret amens, adhuc valeret Baptismus, quia tota ministerio Sacraentum fuit humana, five facta humano modo cum debita intentione. Ergo in calu præsenti, cum duplex sit minister Sacraenti, videtur sufficere ad ejus valorem, ut utrumque exprimat suum consensum alteri, & alterius consensem accepter humano modo cum debita intentione.

Quod autem possit ex nunc acceptari validè consensus, postea ponendus, patet ex Conclusione sequenti. Immo semper, item secundum Aliquis, qui consentit in Matrimonium, sive accipit aliquam in suam, hoc ipso videtur acceptare consenitum illius, postea praestandum; cum non possit esse sua, nisi acceptando illius consenitum, si ergo ex nunc vult esse suam, ex nunc vult acceptare, & acceptat ejus consenitum, postea ponendumque unde nemo obligat contrahentes Matrimonium, ut post expressionem proprii consenserit, rursum consentiant, sive ut novo consensu acceptent consenitum alterius partis.

Gratis autem admisso, quod requireretur
nova acceptatio, tunc disparitas est: quod
quando contrahit quis per seipsum, nihil
adfit, in quo virtualiter maneat prior con-
fensus, adeoque nullus adfit, qui consensum
alterius partis possit acceptare; at verò quan-
do contrahitur per Procuratorem, prior con-
fensus in ipso virtualiter permanet quamdiu
non revocatur; procedit quippe mandatum
& executio ejus ex actuali intentione, qua-
fuit in mandante tempore mandati, & idēc
tunc per Procuratorem potest consensus al-
terius partis acceptari; qui enim habet man-
datum contrahendi Matrimonium, habet
mandatum non solum consentiendi nomine
mandantis, sed etiam consensum alterius
partis acceptandi, cum sine tali acceptatione
non possit Matrimonium subsistere.

110. Sufficit ergo, quod mandans tempore

mandati fuerit vigilans & compas rationis, utcumque sit constitutus ex tempore, quod vel per epistolam, vel per Procuratorem eius consensus exprimitur, & consensus corporis acceperatur. Sin autem tempore, qui misit epistolam, vel Procuratorem, dormivisset, aut fuisset amens, abique dubio nihil fieret, tametsi tempore, quo explicatur consensus sponsorum vigilaret, & esset comparsationis; quia non explicatur consensus humerus, qualis tamen necessarius est ad contractum, & Sacramentum Matrimonii; exemplo aliorum Sacramentorum, quorum ministrum humano modo debent operari, ut Sacramentum valeat, id est, debent habere intentionem, minus virtuale, faciendo, quod factum Ecclesia ergo cum in hoc Sacramento coaherentes ministri, ad minus debent habere intentionem virtuale, ad contrahendi, & faciendo quod factum Ecclesia; jam autem in dormiente vel in ante non reperitur intentio virtualis, diu nec de dictis proprio loco; quamvis bene permaneat in ipsis intentio habitualis; quae licet sufficiat ad suscipiendum Sacramentum, quod solum probat exemplum Baptismi, a Sacerdotio impræ allatum, minime tamen ad miscrandum Sacramentum, saltem per seipsum.

An autem sufficiat ad Sacramentum ministrandum per alium, tanquam per instrumentum, quæstio est, ut alii adhuc non mus, magis de voce, quam de re. Ceterum est, in mandante, quando dormit non propriè dictam intentionem virtualem, ad minus requiritur à DD. ad Populum, & alia Sacraenta ministrantur seipsum. Etiam constat apud Omnes voluntatem præviā mandantis, quodcumque ut Procurator nomine suo contrahere possit, ut mandans per Procuratorem contractat Matrimonium; ergo vel debemus dicere voluntatem: habitualē sufficere ad Sacramentum ministrandum per alium, tanquam per instrumentum; vel certè oportet voluntatem appellare virtualem, quatenus voluntas actualis mandantis manet in mandato, quandiu non revocatur, ut supra indicavi. Vide quæ de hac controverbia dicitur Dilp. I. Sect. 8. n. 49.

Hinc Coninck de Sacram. disp. 4.
71, dans rationem, quare posuit christum
alium posuit contrahere, quam per seipsum,
sic ait: Modo Procurator, dum committit
utrat ratione, externus contractus est vel
liber & humanus, etiam prout tanquam
actus imperatus, secundum moralēm ad
missionem, procedit à mandante: ad quod
sufficit, ut hic liberè cum mandaverit quia
hæc mandatio sola ex parte mandantius
causa illius contractus, & sic ab illa solamen
bet, quid respectu mandantis sit actus liber.
Hæc ille.

Itaque in illo instrumento (sive Procuratore, sive epistola) quod liberè quis assumpsit ad contrahendum, in illo, inquam, instrumento, ratione liberae istius assumptionis, censetur consensus assumentis moraliter & humano modo manere, & per illud humano modo præstari, adeoque voluntas sic permanens, recte dici potest intentio virtualis & non tantum habitualis, ut ita generaliter verum sit, quod in ministro Sacramenti regiratur intentio falso virtualis.

Quia cum ita sit, persistimus in Conclusione, & dicimus rursus; perinde esse ad valorem Matrimonii, quod contrahitur per Procuratorem, sive epistolam, sive principali, tempore quo perficitur contractus, vigiliter seu dormiatur; fanæ mentis sit an amens, dummodo vivat: quamvis enim amentia, maxime perpetua, in aliquibus æquiparatur morti (ut etiam somnus) non tamen in omnibus; sic enim valeret testamentum à tempore amentiae, quod constat esse falsissimum, eti amentia foret perpetua. Ut proinde neque rationes Pontii, neque rationes Lugonis sint efficaces, id est, efficaciter probent, Matrimonium celebratum per Procuratorem, eo tempore, quo principalis est amens, esse invalidum, præcisè quia amens est, ita ut nequeat sponsa, quæ sciret amentiam, validè in ipsum consentire, eò quod amens non possit in eam valide consentire.

Addo: Præcisè quia amens est &c. quia putat Dicastillo sup. n. 160. & seqq. ex alio capite illud Matrimonium regulariter fore invalidum. Atque in primis, inquit, si vera sit, ht est probabilissima opinio, quæ docet, conditionem servitutis, ignoratam ab altero contrahente, jure naturæ reddere nullum contractum, eadem ratione dicendum erit, jure naturæ conditionem amentiae, ignoratam ab altero contrahente, annulare contractum; immo multæ ex rationibus, quas afferunt, qui putant, jure naturæ irritare conditionem servitum, potiori ratione locum habent in hoc casu, v. g. quod servitum conditio reddit hominem impeditum ad individuum vitæ societatem, & minus expediat facultatem ad reddendum debitum habeat.

Sed responderi posset: vel ex hoc improbari illam sententiam, quæ docet, conditionem servitutis ignoratam dirimere jure naturæ Matrimonii; cum communior sententia doceat, conditionem amentiae ignoratam in casu proposito non dirimere Matrimonium; alioquin & alii morbi ignorati, aut aliae qualitates personarum, quæ non minus, sed aliquando magis impeditur individuum vitæ societatem & minus expeditam facultatem ad reddendum debitum habent, jure naturæ dirimerent Matrimo-

nium, quod magnam parceret confusionem in Ecclesia Dei.

Certè haud ambigo, quin multæ mulieres mallent habere virum amentem, alioquin boni humoris, mansuetum, castum &c. quam virum rationis compotem, alioquin iracundum, incontinentem, litigiosum, ebriosum &c. Et dicemus propterea, omnia illa Matrimonia esse irrita jure naturæ, quia si scivissent illas qualitates viri, noluisserent contrahere? Non est haec tenus tale quid auditum in Ecclesia Dei. Sibi imputari debent in casu proposito, & in similibus, quod habent virum amentem, aut alterius complexionis, quam putabant & sperabant se habere; sed de hoc iterum redibit sermo Sectione sequenti.

Nunc proponit secundam viam, quam Dicastillo sup. n. 161. putat, satis probabiliter Secunda explicari & probari, quod consensus nec ex parte amentis censeatur permanere, nec ex parte alterius, qui illum admittit, censeatur haberi. Quia nimis, nisi explicetur factis clarè, non censetur quis velle efficere contractum, qui, estò si fiat, valeat; illicite tamen & imprudentissimè fiet, adeoque non sine peccato. Sed contraferre cum furioso, habente lucida intervalla illicitum est; ergo potiori ratione contrahere cum furioso non habente ea lucida; ergo quando in nostro casu alter coniux ignorat furius alterius, & cum Procuratorem contrahit nomine jam furiosi, non censetur præbuisse consensum pro casu, quo sit furiosus, nec voluisse furiosum admittere, quem non putabat talem.

Ex parte etiam ipsius amentis possumus argumentari; quia, nisi aliud explicet, non censetur habere voluntatem pro casu, quo incidet in amentiam. Nam si illicitum est habenti lucida intervalla (nisi aliunde excusat) inire Matrimonium, saltem non præmissis cautelis, vel ad non occidendam, vel ad debitè educandam prolem, quantò magis erit illicitum velle, quando sanus est, sic contra nominem suo à Procuratore, ut etiam fiat casu, quo ante contractum factus sit amens? Talis enim voluntas est illicitæ, ergo non censendus est illam habuisse, nisi alioquin confiteretur illum sic voluisse.

Itaque existimo (concludit praefatus Author) in tali casu non fieri validum contractum; non quia cesseret voluntas amentis, propter adventum furiæ vel amentiae; sed, quia nunquam censetur fuisse voluntas ex parte illius, ut Procurator contraheret etiam casu quo prius ipse metu mandans in amentiam seu furiam incidisset. Item, quia neque altera pars censetur consentire in Matrimonio cum amente, quando ignorat ipsum, quem putabat sanum, amentem esse, atque

408 *Disput. II. De Contraktu & Sacramento Matrimonii.*

atque adē illicite & imprudenter illum
fusciptaret, si consentiret. Hucusque Dicat.

118.

Centra ar-
guitur,

Sed contrā : si omnia illa Matrimonia
essent invalida defectū consensū alterius
partis, quæ imprudenter & illicite contrahē-
rentur, si qualitates personarum forent cog-
nitæ, quæ nunc latent, Deus bone ! quot
Matrimonia essent invalida, quæ tamen ab
Ecclesia pro validis agnoscantur? Pono exem-
plum hominis heretici, cum quo ignoran-
ter contrahitur in facie Ecclesiae coram Pa-
rocho & testibus, censem quia Matrimonium
illud ab Ecclesia reputaretur invalidum de-
fectū consensū alterius partis, quæ si scivis-
set illam qualitatem non potuisse pru-
denter & licitè contrahere? Aliquis contrahit
ignoranter cum muliere habet votum ca-
stitatis, aut sponsalia cum tertio, putas, quia
scienter non posset licitè contrahere, idēo
Matrimonium esse invalidum? Contrahit
quispiam ignoranter tempore interdicti,
num existimas, idēo Matrimonium esse in-
validum, quia cum scientia interdicti non
potuisse prudenter & licitè contrahere? No-
lim existimes, quia non est sapientis. Ergo
etiam non videretur sapientis dicere, idēo p̄r-
cīscē Matrimonium cū amentē non valere;
quia si altera pars amentiam scivisset non
potuisse prudenter & licitè velle contra-
here.

119.

Causa ali-
quiss, in quo
Dicat, pu-
tat tale
Matr. vale-
re,

Interim admittit Dicastillo, valere Ma-
trimonium cū amentē, aut delirante, aut
alienato à sensibus vi morbi, jam moribun-
do, quando ille, ut satisfaceret suæ obliga-
tioni, dederat potestatē alicui, ut nomine
suo contraheret cum aliqua absente, cui de-
bebat Matrimonium, quod, nisi contrahere-
tur, maneret illa infamis, & fortè illegitimi
filii; tunc enim justum est sic contrahere, &
ex parte utriusque conjugis censeretur adesse
voluntas, etiam pro casu furiæ & amentiæ,
seu alienationis à sensibus; quia utrumque
contrahentē sic contrahere honestum est in
eo casu, atque adē & voluntas fuit ante
amentiam, & non censeretur retractata, aut
cessare in amentia; & in tali casu vera est
sententia Sanchez & Henriquez. Hæc ille.

120.
Iudicium
Autoris,

Ego autem, salvo meliori, existime-
ram esse sententiam Sanchez & Henriquez
& aliorum plurimorum, non tantum in tali
casu, sed semper quando non fuit talis con-
ditio exterioris apposita, vel saltem interioris
expressa in mente contrahentium. Dico
etiam; nullum esse peccatum sine tali condi-
tione velle contrahere, nisi amentia aliquo
modo fuisset prævisa; sicuti non est malum
velle absolūte contrahere cum tali homine,
quem prudenter puto liberum à voto & à
sponsalibus; quem prudenter existimo esse
Catholicum, quāvis in rarissimo & meta-
physico quāsi eventu possit contrarium esse

verum; jam autem rarissimè & quasi meta-
physicè contingit, ut aliquis, qui infinitus
Procuratorem, intermedio tempore fur-
amens, & idēo non est necesse illam condi-
tionem vel exteriū vel interiū expedi-
apponere, sed licet absolūte contrahere.

Et idēo omnes Judices, meo iudicio, deben-
tent judicare pro validitate talis Matrimo-
nii, nisi velint sequi sententiam Pontificis que-
dū patet ex dictis, fatus debili nütur funda-
mento, videlicet juri positivo civili, quod in
aliquibus casibus seu contractibus disponit
mandatum cessare furore seu amentiū mandan-
tis; sed huic dispositioni non subest con-
tractus Matrimonii, elevatus ad dignitatem
Sacramenti; quoniam *Declarat Trident. sp. 2*
nodus *21. cap. 2.* *hanc potestatem per-*
tuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum ap-
pensione, salvâ eorum substantia, ea faciat
vel mutaret, quæ suscipientium amentia, seu
iporum Sacramentorum veneratione, pro-
rum, temporum, & locorum varietate, non
expeditiudicare. Cū ergo Ecclesia nō
p̄ponat, mandatum expirantem
seu furore mandantis; sed neque generaliter
expirare morte mandantis, aut facultate
in contractu Matrimonii, iterum subscrībi-
mus Conclusioni tanquam magis communis
& longè probabilior.

Restat unica difficultas, quæ imponit
nem huic secessiōni, videlicet, quo tempo-
rā servanda fit lex Tridentini, ubi illa ob-
an quando imponitur mandatum, aut
quando Procurator nomine mandantis
trahit? Resolutio erit.

CONCLUSIO V.

Servanda est lex Tridentini de Pe-
rocho & testibus, non in con-
fessione instrumenti, sed in
so contractu.

Fundamentum desumitur ex verba
Conc. Trident. *sess. 24.* in Decret. de re-
form. Matr. *cap. 1.* *Qui alter quam prelate*
Parochio, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochio
seu Ordinaris licentia, & duobus vel tricobus
sensibus Matrimonium contrahere attinet
&c. Sed qui conficiunt instrumentum ab-
sente Parochio, non idēo attinent contrahere
Matrimonium aliter, quam prelate Pe-
rocho &c. ergo Matrimonium, quod per
modum vi iustius instrumenti contrahitur per
Procuratorem, præsente Parochio, & duobus
testibus, non est invalidum.

Probatur minor; quia dare mandatum
contrahendi, quod solummodo fit per con-
fessionem instrumenti, non est contrahere,
alioquin quando utraque pars deciderit manu-
datum.